

# VARIEDADES.

---

## I.

### TESTAMENTO DE ARNALDO DE VILANOVA.

Hoc est translatum bene et fideliter factum, decimo kalendas februarii anno domini m°. ccc°. tricesimo quinto sumptum a quodam alio translato, autentico, cuius tenor talis est:

Hoc est translatum bene et fideliter factum, undecimo kalendas jannarii anno domini millesimo ccc° vicesimo primo sumptum a quodam testamento per alphabetum diviso, cuius tenor talis est:

In nomine domini nostri jhesu christi. Ego Magister Arnaldus de Vilanova, timens irrideri per fallaciam seculi presentis propter vite huius brevissimam durationem et incertitudinem sui termini, dum compos existo per dei misericordiam mentis mee ordino testamentum meum, et constituo exsecutores ipsius dominum Petrum de Monte molonis, dominum Petrum iudicis, dominum Jacobum de plano cives Barchinonenses et dominum Raymundum Conesie prepositum Elemosine episcopalnis Valentie, quos volo esse exsecutores simul et singulariter, ita quod, si omnes aut aliqui concurrere non possent ad exsequendum, unus eorum sine aliis possit ordinationem meam exsecutioni mandare, quos humiliter precor et ex parte domini jhesu christi requiro quod, si continget me decidere priusquam aliud conderem testamentum, omnia bona mea distribuant sicut inferius invenerint ordinatum sine detrimento ipsorum; volendo et ordinando atque consentiendo quod dicti manumissores mei possint

plenarie sibi satisfacere de bonis meis secundum quod eis videbitur faciendum super laborem, quem sustinebunt pro honore hujus manumissorie ac presentis ordinationis mee exsequende et complende; quibus etiam manumissoribus et cuiilibet ipsorum confero plenariam potestatem statim post obitum meum propria auctoritate sua apprendendi exigendi excipiendi et despendendi in jure et extra jus omnia bona et jura mea, quecumque sint et ubicumque; et ea, exceptis quibusdam per me inferius assignatis et legatis, vendendi et alienandi et precium distribuendi prout a me inferius ordinatur; adque omnia et singula facienda et complenda dono et cedo dictis manumissoribus meis et cuiilibet eorum omnia mea jura loca et actiones ac liberam et generalem administrationem.

Et in primis eligo sepulturam meam in quacumque parrochia contingere me obire, volens et ordinans quod de funeralibus plenissime satisfiat illis qui mee sepulture tam obsequia fecerint quam necessaria ministraverint.

Secundo volo quod ante omnia restituantur ad plenum injurie, si forte legitimis documentis alicubi apparuerint.

Item volo et ordino quod omnia bona mea tam immobilia quam mobilia, que habeo in monte pessulano, teneat et possideat domina *Agnes uxor mea* in tota vita sua, et in morte possit ad sui arbitrium ordinare de illis pro anima utriusque. Si tamen ipsa non ordinaret, volo quod distribuantur in monte pessulano per viduas et orfanos et pupilos et alias personas miserabiles honeste viventes et inopes. De domibus tamen meis, quas comodavi *repentitis novis juxta predicatores*, volo et ordino quod dicte *repentite* prout actenus teneant eas titulo comodati, solventes censum quem Ego debeo. solvere annuatim heredibus dicti censalis; tamen si *repentite* deficerent aut domos predictas desererent, volo quod vendantur, et pretium distribuatur ibidem per superscriptas personas.

Item volo et ordino quod *omnes libri mei in theologia* ponantur in deposito *in monasterio scala dei* ordinis carthusie in Catalonia; et quod bernardus oliverii et Andreas ferrandi et *Petrus de Villanova nepos meus* possint eis uti in vita sua, sic scilicet quod in monasterio resideant sub quoque habitu honestatis, et *studio*

*sacre scripture vaccent ac divino officio; et ut monasterium possit portare houera expensarum in necessariis eorumdem, volo quod pro unoquoque deatur dicto monasterio de aliis bonis meis centum libre. Et si quis eorum nollet in monasterio residere, dentur ei quinquaginta libre, et sic vadat cum dei benedictione quocumque voluerit. Et eis decedentibus aut omnino recedentibus, volo quod in dicto monasterio sint *perpetuo* libri predicti tam in consolatione fratrum quam in remedium anime mee.*

Item volo et ordino quod *puer ille, quem Michael Antiga notarius barchinone afranquivit contemplatione mei*, cum pervenerit ad etatem disciplinabilem erudiatur *gramaticalibus et moralibus et divinis* per Petrum de Villanova supradictum; vel eo deficiente per alium ex tunc. Donech compleverit quatuordecim annos, volo quod annuatim pro suis necessariis dentur ei decem libre de bonis meis; ultra quartumdecimum annum etatis sue, si voluerit in supradicto monasterio perpetuo residere sub exercicio supradicto, volo quod pro eo similiter dentur dicto monasterio centum libre de bonis meis.

Item volo et ordino quod dum vixerit *Maria filia mea*, provideatur ei de necessariis suis ad plenum de proventibus censualium meorum, quos habeo in civitate vel in territorio Valentie. Et in eo quod in presenti ordinatione dictae filie mee dimitto et in aliis bonis, que eidem filie mee sive *monasterio dominarum Sancte Marie Magdalene Valentie quem intravit* pro ea et nomine suo de bonis meis dedi et obtuli, instituo ipsam filiam meam nunc heredem. Residuum vero predictorum proventuum distribuatur per moniales illas quas premet inopia vel egestas in monasterio ubi fuerit dicta filia mea. Post cujus obitum volo et ordino quod censualia predicta vendantur per dictos manumissiones meos vel per aliquem eorum ut predicitur, et per eum distribuatur per personas miserabiles, descriptas superius, cum ceteris bonis residuis; quorum tamen quarta pars volo quod ponatur *in captiis redimendis*, ita quod *sic dominus jhesus christus omnia michi dedit*. Ita volo et instituo quod heres sit meus et quod ad sui gloriam hereditas predicto modo administretur.

Et hanc volo esse ultimam voluntatem meam, cassando de

presenti et irritando omnes alias ordinationes ubique et qualiter-cumque fecerim meas. Et istam volo valere jure cujuscumque ultime voluntatis; et volo etiam quod in vita mea fiat inde copia cuiolibet meorum executorum. Volo etiam et ordino quod tam in vita mea quam post mortem subscriptus notarius ad requisitionem dictorum executorum meorum vel cuiuslibet ipsorum possit ac sit ei licitum confidere de hac mea ordinatione per alphabetum tot originalia quo placuerit dictis manumissoribus meis et cuiolibet eorum.

Actum est hoc terciodecimo kalendas Augusti anno domini M.<sup>o</sup> ccc.<sup>o</sup> quinto.

Sig + num Magistri Arnaldi de Villanova testatoris predicti, qui hoc meum testamentum quod est ultima voluntas mea, laudo concedo et firmo.

Testes specialiter vocati et rogati hujus ordinationis, cum de privilegio civitatis Barchinoue duo vel tres testes adhibiti firmamentis testamentorum sufficientant, sunt Petrus Judicis *apothecarius* manumissor predictus, Magister Bernardus de limona *siscius*, et Bartholomeus junior civis Barchinone.

Sig + num Bartholomei Marchii, publici Barchiuone notarii, qui hoc scribi fecit et clausit, etc.

He descubierto este pergaminio en el archivo de la catedral de Valencia. En su respaldo se lee de letra del siglo xvi: «Testament de mestre Arnau de Vilanova *quondam metge*».

Valencia, 6 de Enero de 1896.

ROQUE CHABÁS,  
Correspondiente.

## II.

### OBSERVACIONES SOBRE EL TESTAMENTO DE ARNALDO DE VILANOVA.

Fué otorgado en *Barcelona*, el día *20 de Julio de 1305*. Conviene rogar á la Comisión de monumentos históricos y artísticos de aquella ciudad que registre los libros de protocolo del notario